

P R A E F A T I O.



Præfatio ad B. Lectorem.

Si cui nostra legere lubitum fuerit, de paucis in antecedentium monendum videtur. Et primò quidem ut illa consignarem, non eo animo me accessisse fateor, tanquam ab aliis nondum tractata exhibere sperarem, cum in iustis historicorum voluminibus, ubi virtutibus etiam digniores obtigere præcones & ab eloquentia horum ornatus, ea abunde fuerint descripta, ex quibus hic non nisi pauca excerpta vides. Sed cum in compendium summa capita, quæ illi prolixis narrationibus exsequuntur, redacta non parum tirones hujus studii juvare existimem, post illos meæ quoque diligentia aliquod spicilegium relictum credidi. Tanto magis autem, quod auditorum meorum, quibus in illa Historiae parte ab aliquo tempore (ex quo olim Serenissimorum Principum ac Dominorum, Dn. CHRISTIANI & Domini JOHANNIS CAROLI Fratrum Germanorum Comm. Palatinorum Rheni, Ducum Bavariae, Comm. Veldentii & Sponheimii, &c. Principum & Dominorum meorum Clementissimorum, studiis admotus, hoc argumentum excolere nonnihil cæperam) mea uti qualicunque opella visum est, sæpius repetita flagitatio hoc mereri videbatur, ut eos à molesto & sumtuoso describendi observationes istas labore liberarem, ad hoc me persuaderi passus sum, ut prelum subirent, quæ privato commilitonum usui antea dicaveram. Meo itaque scopo satisfactum erit, si horum desideriis: id ulteriori
Incro